

scientiam visionis, ut Suarez libro II de scientia futura, c. III : alii ad simplicem illam devolvunt, ut Vasquez disp. LXVII, n. XXVII ; Lessius libro de auxiliis, capit. XIX ; Bellarminus lib. II de amissione gratiæ, cap. XVII, et alii.

ARTICULUS II.

Deum cognoscere certo futura conditionata libera.

I. Ut veritas ista eluceat, et si quid in hoc aliquando dissidii inter auctores fuit non tam in substantia fuisse constet, quam in modo, supponenda sunt duo. Alterum est varios esse horum conditionalium sensus, nam aliquando solum significatur in conditionali vis consequentiæ, aliquando pura concomitantia, aliquando aliqua causalitas, vel conducentia ipsius conditionis oppositæ ad effectum, licet non sit infallibilis connexio et consequentia. Et ex hoc resultant diversæ veritates conditionalium. Primo modo conditionalis non respicit veritatem extremorum, sed illationem, et eam denotat illa particula si, ut cum dico : Si sol lucet dies est, lysi subrogatur loco particulae ergo, perinde ac si dicas : Sol lucet, ergo dies est, quasi ex præsuppositione, non ex assertione antecedentis procedens, et sic illatio non ex affirmatione seu determinatione antecedentis, sed ex suppositione procedens per conditionalem illativam explicatur, ideoque potest talis conditionalis formari etiam ex extremis impossibilibus, et tamen conditionalis ipsa vera erit, id est, illatio recta et bona, in illatione enim ejus veritas consistit, ut si dicas : Si homo esset equus esset hinnibilis, si homo haberet alas volaret, si Spiritus Sanctus non procederet a Filio, non distingueretur ab

illo. Et de talibus conditionalibus intelligitur illud dictum : Quod omnis conditionalis, vel est necessario vera, vel necessario falsa, quia si sumitur in vi illationis, vel illatio est recta, et sic semper et necessario est vera, id est, bene illativa, quia ejus veritas solum in recta illatione consistit, vel est semper et necessario falsa, id est, male illativa, quia ejus falsitas in indèbita illatione consistit. Et hæc est sententia S. Thomæ de veritate conditionalium multis in locis, ut VI metaph. lect. IV, quæst. III de potent. art. VI ad XXXI, I contra gent. capit. LXVII et I part. quæst. XXV, art. III ad II.

II. Secundo modo dicitur conditionalis secundum puram concomitantiam, qualia sunt conditionata disparata, id est, quando inter conditionem et effectum consecutum nulla datur causalitas, et connexio, sed solum significatur quod utrumque simul verificabitur, et concomitanter existet, ut si dicas : Si papa dormit, imperator fugit ; si Turca ambulat, Petrus ridet, et alia similia, in quibus particula si nullam denotat causalitatem, vel illationem, sed puram concomitantiam, seu coexistentiam, et ita potius æquivaleret copulativæ quam conditionali, quasi dicas : Turca ambulat, et Petrus ridet, seu simul cum Turca ambulat Petrus ridet.

III. Tertio modo conditionalis significat aliquam causalitatem seu conducentiam inter conditionem et effectum secutum, non explicando solum bonitatem illationis et consequentiæ, sed connexionem antecedentis, et consequentis, quatenus antecedens, quod ponitur per modum conditionis aliquam inclinationem, vel conducentiam, aut causationem importat ad id quod ponitur per modum consequentis, sive talis conducentia et causatio sit infallibilis, et certa, sive contingens, proxi-

ma vel remota, ut hæc conditionalis est infallibilis : Si femina parit naturaliter, non erit virgo ; hæc est probabilis ; si Maria habet filium ; diligit illum ; hæc est contingens : Si Petrus vadit ad domum pontificis, negabit Christum ; hæc est dubia : si Joannes mercaturam exercet, lucrabitur multas pecunias. In his omnibus particula si non ponitur ad explicandum solam bonitatem illationis, et consequentiæ, et quasi vim seu formam prioristicam argumentationis virtualiter in conditionali implicitam, sed ad explicandam ipsarum veritatum connexionem, quæ est materia posterioristica in illis illationibus, seu conditionalibus. Unde, quia materia antecedentis, et consequentis, et connexio illativa unius ex alio aliquando est dubia, aliquando contingens vel probabilis, aliquando certa, ideo aliquando conditionalis explicat connexionem seu conducentiam istam certam, aliquando dubiam, vel probabilem ex se. Unde ut in talibus conditionalis contingentibus, et dubiis inveniatur connexio, et veritas certa et determinata, non est nisi duplex via, vel quia ipsa veritas conditionatorum ex se determinata est, sicut et veritas cujuscumque futuri contingentis, vel quia ab aliqua causa extrinseca sumunt infallibilitatem quatenus illi subsunt, nec est alia quam divina voluntas, quia talis veritas in se contingens est, et posset in oppositum verti, unde debet reduci ad causam, quæ in se infallibilis existens, contingentium veritates statuit. Et sic qui ponunt independentem a voluntate divina illas veritates reddi certas et determinatas, pro fundamento habent quod omnium futurorum veritates etiam contingentium de se determinatæ sunt. Qui oppositum sustinent, determinationem veritatum futurarum ex se ipsis negant in futuris

contingentibus, sed solum id docent habere ex prima omnium futuritium, quæ est voluntas divina libera.

IV. Alterum quod supponimus est, quod etiam ex dictis in præcedenti articulo manifeste constat, refugisse quosdam auctores concedere Deo simpliciter notitiam conditionalium contingentium, vel quia solum considerabant conditionata in vi consequentiæ et illationis, vel quia negabant Deum habere decreta de facto circa omnes combinationes, quæ de rebus possibilibus sub conditione fieri possunt, id enim otiosum ac superfluum videtur, licet aliqua decreta circa aliqua conditionata habuerit, quæ in Scriptura expressa sunt, vel ad hujus universi regimen, et providentiam spectant : vel denique, quia datis et concessis his decretis absolutis ex parte Dei, et conditionatis ex parte objecti, non cognoscerentur conditionata illa, nisi per modum absoluti, et per modum visionis, eo quod viderentur in decreto absoluto et præsentem, et consequenter per medium et modum absolutæ visionis, a medio enim per quem res videtur, sumitur ratio ipsa videndi.

V. Cæterum nos in præsentem non agimus de modo talis scientiæ, et quomodo denominetur, et an sit visionis absolute loquendo, vel libera, de his enim denominationibus postea agemus, tractando quomodo sit, vel non sit media ista scientia, et quomodo appellanda. Nunc solum attendimus ad puram et solam cognoscibilitatem istorum conditionalium, et intendimus quod ex eo quod sint in statu conditionato, ita quod non sint futura absolute et de facto, nec sint in sola consideratione, et statu puræ possibilitatis, sed cum ordine ad existentiam sub conditione, ex hoc solum non debent amittere cognoscibilitatem, sed co-

gnosci debent a Deo, si enim nos de illis cognoscimus et disputamus, sine dubio cognosceat etiam Deus, et cum non sint aliquid chimaericum et fictum a nobis tamquam ens rationis, non cognosceat Deus illa solum in nostra imaginatione seu fictione, sed etiam in ipsis ex parte termini, et rei cognitæ; ut autem certo cognoscat non solum connexionem, et inclinationem unius in aliud, sed etiam eventum ipsum qui foret, oportet Deum uti decreto suæ voluntatis, ut statim dicetur.

VI. Dico ergo primo: Conditionalia futura considerata primo modo, id est, ut præcise pertinent ad vim consequentiæ, et illationis, et solum illam explicant, cognoscuntur a Deo, sed non in vi decreti liberi, sed sicut quidditates rerum, et possibilis per scientiam simplicis intelligentiæ. Hæc conclusio communis est etiam inter Thomistas. Et prima ejus pars probatur, quia nos cognoscimus conditionata illa sub hac formalitate consequentiæ et illationis, ergo multo magis Deus. Consequentia negari non potest. Et antecedens manifestum est, cum nos evidenter cognoscamus vim illationis in qualibet conditionali, et an sit consequentia bona vel mala, et ita si veritas conditionalis solum reducitur ad vim illationis, et consequentiæ, omnis conditionalis, vel est necessaria, vel impossibilis, quia vel consequentia illa est bona, vel mala. Si est bona et formalis non debet solum valere in hac, vel illa materia, sed in omni, et sic semper valebit, quod est esse consequentiam necessariam, si autem illa consequentia non sit formalis, et bona, sed aliquando valeat, aliquando non, et si valeat solum gratia materiæ, non vero ex vi formæ valeat, talis conditionalis judicatur falsa in vi illationis, id est, non per bonam consequentiam procedere,

quia potest stare antecedens sine veritate, seu illatione consequentiæ. Hoc ergo nos manifeste cognoscimus, et videmus quam vim et formam illationis, et consequentiæ talis conditionalis habeat. Ergo si conditionalis sumitur solum in vi illationis, et consequentiæ, non potest negari quod a nobis cognoscatur, et multo magis a Deo, hoc enim non est cognoscere quid erit, vel non erit de facto posita tali conditione, sed an sit bona, vel mala consequentia, ex vi talis conditionis inferre talem effectum.

VII. Secunda pars conclusionis probatur, quia bonitas et formalitas consequentiæ, vel ejus sufficientia et defectus fundantur in ipsis principiis intrinsicis, et natura consequentiæ. Nam consequentia formalis est illa, quæ ex vi et natura ipsa formæ, sub qua fit illatio est bona, et firma independentem a tali, vel tali materia circa quam exercetur, ergo id pertinet ad naturam ipsam, et intrinsicam rationem talis consequentiæ, ergo ejus cognitio pertinet ad scientiam simplicis intelligentiæ, et est independentem a decreto libero Dei. Patet hæc consequentia, quia quidquid pertinet ad quidditates et naturas rerum, est connexionis necessariæ, et abstrahit de se ab omni existentia, ergo est independentem a libero decreto Dei, quod versatur circa existentiam rerum, non ipsam necessariam connexionem quidditatis constituit. Pertinet ergo ejus cognitio ad simplicis intelligentiæ notitiam, sicut omnes aliæ quidditates, et naturæ per talem scientiam cognoscuntur.

VIII. Quod si inquiras, quando, aut quomodo cognoscemus quod conditionalis solum teneatur in vi illationis, et per modum consequentiæ cognoscatur, respondetur id sumi ex ipso sensu, in quo conditionalis accipitur. Nam cum formalis ratio

consequentia sumatur in vi connexionis antecedentis cum consequente, ita ut nunquam stet dari antecedens verum, et consequens falsum, tunc accipietur in vi illationis, et consequentiæ, quando accipitur ut explicans hanc connexionem per particulam si. Et ita si posita illa particula, non stet conditionem poni quin sequatur effectus, consequentia erit bona et formalis, sin minus erit mala consequentia, et consequenter conditionalis erit falsa si solum se habeat ut explicans talem formam consequentiæ, v. g. hæc conditionalis: Si Petrus vadit ad domum pontificis, negabit Christum, in vi illationis, et consequentiæ est falsa, quia stat bene salvari, et poni conditionem, quæ est antecedens, quin sequatur effectus qui est consequens, posset enim ad illam domum ire Petrus, et non negare Christum. Si ergo in illa conditionalis solum exprimitur per particulam si, vis consequentiæ, non est formalis, licet in re et gratia materiæ veritatem habuerit. Hæc autem conditionalis: Si sol lucet dies est, formalem consequentiam designat, quia non stat poni antecedens, quin consequens sequatur, imo etiam si ex parte materiæ extrema conditionalis sint falsa, ipsa in vi conditionalis potest esse vera, quia formalem consequentiam designat, ut si homo volat habet alas, si est equus est hinnibilis, vel si equus est homo est risibilis, vis enim consequentiæ est formalis et bona, licet extrema sint falsa; et ita conditionalis in vi exprimiendi illationem vera est, quia prout sic non consistit in alio ejus veritas, quam in bonitate consequentiæ, et formalis.

IX. Dico secundo: Si in conditionibus intelligatur non sola ratio, et forma illationis, sed ipsa veritas extremorum, et eventus futuros

contingens, qui sub conditione designatur, vere a Deo intelligitur, et certe cognoscitur, non solum virtualiter et eminenter, sed etiam formaliter ratione decreti liberi sui circa talia futura, non sine illo, si ve conditionalis solum explicet puram concomitantiam, sive concurrentiam, et causalitatem aliquam conditionis in effectum, contingentem tamen, et non omnino certam ex parte ipsius materiæ. In hac conclusione solum intendimus asserere dari de facto viam et modum, quo conditionatæ veritates contingentes a Deo cognoscibiles sint infallibiliter, et certo, non quia ex se fundent talem cognoscibilitatem, sed quia a decreto divino libero eam participant. Et ita convenimus cum aliquibus antiquioribus Thomistis, et etiam recentioribus, qui in hoc unanimes semper fuerunt, quod futura contingentia, conditionata ex se ipsis præcise, et omni decreto Dei remoto, non fundant cognoscibilitatem certam et infallibilem, sed vel conjecturalem tantum si conditio posita conducat, et inclinet ad effectum aliquo modo, vel nullam, si solum detur pura indifferentia et concomitantia inter conditionem et effectum. Recedimus tamen ab his qui recusabant concedere decreta Dei libera circa alia objecta conditionata, licet illis positus tales auctores appellarent illam scientiam potius absolutam, et visionis quam conditionatam. Sed in appellatione hæreo. Illud nobis probandum est, et explicandum. Primo, quod ista decreta non repugnant, sed dantur in Deo. Secundo, quod illis admissis Deus certo cognoscit talia conditionata formali cognitione, et nullam importante imperfectionem ob quam solum virtualiter sit in Deo ponenda talis cognitio. Quod vero sine illis non sint cognoscibilia, quod directe jugulat scientiam mediam se-

quenti articulo ostendetur. An vero dentur ista decreta Dei respectu omnium conditionatorum, et omnium combinationum, quæ fieri possunt inter possibilia, dicemus in solutione argumentorum.

DECRETA LIBERA ABSOLUTA PRO CONDITIONATIS FUTURIS.

X. Igitur dari hujusmodi decreta non solum apud auctores Thomistas commune est, sed etiam multi ex aliis admittunt, præsertim circa conditionata disparata seu puræ concomitantiae. Et quod attinet ad Thomistas in disputatione solemni de auxiliis Romæ in congregatione xxxv habita coram Clemente viii, ex parte Thomistarum admissa fuisse, et egregie defensa contra impugnatores eorum ex parte societatis. Fuit autem habita hæc congregatio anno 1604, die 6 decembris. Explicandum autem primo est quid intelligamus per decreta Dei absoluta ex parte voluntatis, et conditionata ex parte objecti. Dicimus ergo decretum absolutum ex parte actus seu ex parte Dei, et conditionatum circa objectum non esse aliud, quam actum de facto, et in re positum, et habitum a Deo, circa objectum tamen non ponendum de facto, et producendum re, sed sub conditione habendum, quales actus frequentissimi apud nos sunt, pertinent enim maxime tales actus ad cautelam et prudentiam, ut si habeant hunc actum: Si Petruali die venerit ad me, parabo illi hospitium; si obtinueris hanc gratiam a rege, dabo tibi mille, et in multis promissionibus aut minis de futuro tales actus eliciuntur, qui sunt absoluti ex parte elicientis, id est, de facto ab illo elicitum et habiti, objectum autem conditionatum respiciunt, quia non absolute et de facto illud po-

nunt. E contra vero decretum conditionatum, non solum ex parte objecti sed ex parte ipsius actus, et ipsius elicientis est quando de facto non elicit actum, aut facit propositum, vel decernit pro tali, vel tali occasione quid faciat, sed suspendit modo actum de facto, et remittit in futurum quid decernet si talis occasio se offerat, tunc iste non habet decretum de facto, sed habebit si conditio ponatur, vel occasio se obtulerit, et sic dicitur conditionatum decretum etiam ex parte voluntatis.

XI. Nec obstat quod illud decretum de facto habitum, sed circa objectum conditionatum, est illud quod in jure appellatur voluntas conditionata, ut cum aliquis legat Titio centum si naves venerint ex Asia, illa voluntas vocatur in jure conditionata. Et si quis contrahat cum aliqua accipiendo in suam si papa dispensaverit ille consensus dicitur conditionatus, et tamen de facto actus aliquis elicitur a voluntate: ergo non potest vocari voluntas conditionata ex parte objecti et absoluta ex parte actus, quæ habet actum de facto, et versatur circa objectum conditionatum, cum nulla alia voluntas possit conditionata vocari, nisi ista. Unde et in congregatione xxxv habita coram sanctissimo dom. Clemente viii, supra relata, qui pro parte societatis disputabat, ex hoc dicebat posse responderi sufficienter dubio proposito in illa congregatione a sanctissimo, videlicet an Deus cognoscat hæc futura conditionata ante decretum absolutum voluntatis, dicendo quod non datur tale decretum absolutum, cum illud sit conditionatum, est enim de objecto conditionato.

XII. Cæterum hæc æquivocatio in hac disputatione tollenda est, sicut ibidem in illa congregatione coram

pontifice soluta fuit. Quando enim in præsentem dicimus dari decretum absolutum ex parte actus et conditionatum ex parte objecti, non negamus esse voluntatem conditionatam respectu effectus secuturi, et quantum ad executionem ejus, hanc enim suspendit, et solum sub conditione vult. Unde ex hac parte voluntas illa conditionata dicitur in jure ratione objecti, et ex eventu seu effectu secuto, licet de facto et absolute detur actus, et resolutio in voluntate, quia jus in conditionatis solum respicit effectum seu eventum et objectum, non elicientiam actus. Vocatur autem absoluta ex parte actus, quia cum deliberatione et firmitate volentis fit, ita ut de facto velit et resolutorie decernat id facere si conditio ponatur ex nunc pro tunc, ita ut nova voluntate non indigeat ad illum effectum si conditio ponatur. In hoc sensu dicitur absoluta, quia scilicet non suspendit deliberationem et effectum, licet suspendat executionem et effectum, quod totum tenet se ex parte objecti. Tunc autem dicitur decretum conditionatum ex parte actus seu decreti, quando actus ipse de facto non elicitur, nec habetur, sed conditio ipsa etiam apponitur super ipsum actum, ut cum dico: Fiet et hoc, vel illud, si ego voluero, quo casu non firmatur de facto voluntas ad volendum, vel faciendum, sed sub conditione actus exprimitur. Et controversia in hoc stat, quia nostra sententia dicit Deum habere decretum quo resolutorie et firmiter vult aliquid fieri si talis conditio ponatur, opposita vero sententia dicit, quod Deus cognoscit aliquid faciendum si talis conditio ponatur, dependenter quidem a voluntate Dei quam pro illa occasione habebit, nam sine voluntate Dei certum est nihil fieri posse de facto, sed hæc voluntas nondum est de facto, et resolutorie in Deo, sed

pro tali occasione, vel conditione habenda dicitur, et ideo ponunt decretum conditionatum etiam ex parte actus.

XIII. Igitur sic explicato sensu difficultatis hæc decreta conditionata ex parte objecti, de facto tamen, et absolute habita ex parte Dei ponunt plures etiam ex oppositis auctoribus dari ad cognoscenda objecta conditionata. Et in primis pro cognoscendis conditionatis disparatis seu puræ concomitantiae admittit hæc decreta absoluta ex parte Dei, et conditionata ex parte objecti p. Arrubal hic disputatione xlv, cap. iv et sine tali decreto docet non habere illas veritates entis conditionati, et scientiam Dei esse posteriorem tali decreto. Addit tamen nullum tale decretum actuale dari in Deo, quod non habet aliquem effectum in tempore, vel promissionis, vel revelationis, aut aliquid simile, sicut iv Reg. xiii dixit Elisæus regi Joas: *Si percussisses quinquies, vel septies terram, percussisses Syriam usque ad consumptionem*, qui actus promissionis divinæ revelatæ fuit effectus illius decreti de devastanda Syria sub illa conditione. Et hanc sententiam de dependentia istorum conditionatorum a promissionibus illis divinæ sequitur etiam Alarcon ubi supra, et alii plures. Idem autem est dependere a promissione divina, et a decreto. Imo non solum in his conditionatis disparatis, sed absolute, et sine distinctione habere Deum scientiam plurium conditionatorum post decretum absolutum ex parte Dei, et conditionatum ex parte objecti, plures alios auctores ex eadem familia tenere anxie deplorat idem auctor, ut videri potest apud ipsum tractatu de scientia Dei, disp. iv, c. vi, num. vii et viii, quos dicit una cum adversariis in eadem sententiam conspirare, et manus cum eis conjungere, cujus criminis reum